



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

XXXII. De Officio Judicis. D. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)



## TITULUS XXXII.

*De Officio Judicis.*

**P**ost Titulos de Officio Judicum in specie subjungitur Titulus de Officio Judicis in genere, quod est duplex, *Nobile & Mercenarium*. Hoc est, quod deservit propositæ in judicio actioni, (quæ nimirum ex parte actoris supponit jus & ex parte ejus, contra quem intentatur debitum, v.g. solvendi mutuum, restituendi beneficium, &c.) sicut mercenarius deservit Domino. Unde actione in judicium deductâ, quidquid tunc Judex præcipit, prohibet, interloquitur, aut sententiât, fieri dicitur ex officio mercenarii quod prolata sive benè sive malè sententiâ definitivâ expirat, quia Judex esse desinit cum jam officio suo mercenario functus sit; & executio sententiæ expeditur officio Judicis Nobili, quo nunquam defungitur, estque illud, quod propriè non deservit actioni, sed Judex ex officio, auctoritate Juris aut æquitate sic suadente exercet.

2. Officium Nobile exercet Judex *motu proprio* nemine instante, ut cum inquirat in delicta, pupillis constituit Tutores, parti litiganti Advocatum, si ob periculum aliamve causam illum habere non



possit. Sic C. 1. h. t. „Pontifex approbat  
 „factum Archi-Episcopi, qui parti pro-  
 „ponenti, quòd habere non posset Advo-  
 „catum, pro Advocato assignavit Cleri-  
 „cum suum domesticum; & quamvis al-  
 „tera pars contra hoc exceperit, mandat  
 „tamen Pontifex, ut hoc non obstante ra-  
 „tione præviâ procedat.

3. Vel Judex illud exercet *ad instantiam*  
*partis* non habentis quidem actionem, sed  
 implorantis officium Judicis contra cer-  
 tam personam, ita ut necessaria sit causæ  
 cognitio; & tunc imploratio officii suc-  
 cedit loco actionis, de qua C. 2. h. t. decer-  
 nitur: „Judicis officium, ubicunque pro  
 „actione proponitur, veluti cum restitu-  
 „tio in integrum principaliter postulatur,  
 „litis contestationem exposcit. Si verò  
 dicta imploratio non fiat contra certam  
 personam, v. g. dum minor petit restitui  
 contra factum suum, ut nimirum liceat  
 sibi hæreditatem aditam, ex qua læsus est,  
 repudiare; vel si fiat contra personam in-  
 certam, v. g. ut fiat inquisitio in furem  
 ignotum; vel quando non est opus cogni-  
 tione causæ, eò quòd hæc fit liquida & no-  
 toria, v. g. si filius à patre petat alimenta,  
 &c. in his casibus non est opus litis con-  
 testatione, sed de plano procedi debet se-  
 cundum jura.



4. Quæ à Canonistis h. T. traduntur, vide in Nucl. Theol, nempe 1.<sup>mo</sup> qualem debeat Judex ferre sententiam, quando pro utraque parte est probabilitas? *Exam. 3. n. 9.* 2.<sup>do</sup> An possit sententiare juxta aliam legata & probata contra propriam scientiam? *Exam. 8. n. 9.* 3.<sup>o</sup> An teneatur restituere pecuniam acceptam pro sententia? *Exam. 13. n. 2.* Quibus addè: licet omni Jurisprudenti prohiberetur acceptare munus à litigantibus in ea quantitate, quæ de se apta sit inducere corruptionem judicis, potest tamen acceptare xenia, i.e. liberaliter oblata esculenta vel poculenta, quæ paucis diebus arbitrio boni viri taxandis absumi possunt, eò quòd ex his minus non præsumatur inflecti animus boni viri, uti etiam sportulas à consuetudine assignatas in supplementum salarii, quia nemo cogitur militare suis stipendiis etiam in Ecclesia, juxta Apostolum 1 Cor. 9.

## TITULUS XXXIII.

*De Majoritate & Obedientia.*

1. **M**AJORITAS est excellentia seu prærogativa unius personæ præ alia, ordinaturque vel ratione *Dignitatis*; sic Papa major omnibus; Cardinalis etiam nonnullis; Presbyter cæteris Clericis; vel ratione